

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3985

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

299

I C O D I C E S

300

teriorem; marginem vero extimum miniata Patrum nomina occupent, e quorum sententiis Expositio coaluit. Praefaminis initium est: *Principia rerum requirenda sunt prius, ut earum notitia plenior possit haberi.* Totum Opus exit: *Gratia id est purgatio peccatorum et alia dei munera sit cum omnibus uobis amen.* Nulla in toto Codice Lombardi mentio, ne quidem in antiquissima Editione f. l. et a. f. ad cuius calcem solum legas: *Explicit glossa ordinaria ac magistralis super epistolam beati pauli apostoli &c.* Adscriptis tamen Exemplaris nostri fronti Miniator: *Petri lombardi alias magister sententiarum dicti glossa ordinaria &c.* Vide tamen, ne cum *Walafridiana* confundas.

CXCVIII.

U. 290 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 260. f. per duas columnas nitide exaratus, rubricis decorus, et olim, ut Theca anterior loquitur, *ex testamento cuiusdam Presbiteri oblatus domui collegij ducalis per M. Paulum de Mellico theologie professorem et decanum Ecclesie f. stephani Wienne* continet, quemadmodum e calce transfero, *Dicta petri Lombardi super epistolam pauli.* In vetusta Editione f. l. et a. f. inscribuntur: *Glossa ordinaria;* in *Parisina* vero 1547. 8. *Collectanea in omnes D. Pauli Epistolam.* Prologus incipit: *Principia rerum requirenda sunt prius, ut earum noticia plenior possit haberi &c.* Commentarius vero in

Ep. ad Rom. ita: Paulus seruus — qui sunt Rome, hucusque enim pendet litera ut perficiatur sententia, et subintelligitur, mandat vel scribit. &c. Augustino, Hieronymo et Ambroso plurimum usum fuisse liquet nostrum. Ad calcem: et alia dei munera sunt cum omnibus vobis. amen. Explicant (ut supra) sub anno domini Millesimo tricentesimo septuagesimo octavo sequenti die post festum sancti Michaelis.

CXCIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. R. 491 Folior. 182. f. per duas columnas nitide exaratus, rubricis distinctus et quondam *Benedicti* cuiusdam *de Bnossa* continet idem Opus, sed hoc rubro: *Incipit Glossa ordinaria magistri sententiarum Petri Lombardi super Epistolam Pauli doctoris gencium.* Cetera, ut supra, et alias saepius hoc Vol. Verum in Expositione v. 17. c. 1. ad *Galatas* Codex deficit.

CC.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. R. 28 Folior. 203. f. per duas columnas currente calamo exaratus et minio distinctus, est, ut e calce praecoccupo, *Glossa ordinaria magistri petri Lombardi super epistolam beati pauli Apostoli Reportata wienne per Stephanum scolarem de chotze (Kitsee?) Anno domini M° CCC° LXIX° finita proxima sexta feria post festum sancti Michaeли Archangeli.* Pertingit vero ab Epi-

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3985

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

301

HERMENEUTIC.

302

Epistola ad *Galatas* ad Epistolam ad *Hebreos*. Manifeste igitur prior ejus Pars ab hac posteriore divulsa est. Incipit haec a Prologo hujus modi: *Paulus Apostolus &c.* *Hanc Epistolam scribit apostolus galatis, galate autem sunt greci &c.* et finit: *purgacio peccatorum et alia dei munera sunt cum omnibus uobis. Amen.* Post relatam supra *υπογεαφων Scholaris ille*, qui inter antiquissimos *Viennensis Gymnasii censeri potest*, adiectis tribus lineis ignoto charactere exaratis crucem fixit lectoribus, cui revellenda inmorari non est visum operae pretium. Collectanea *Petri Lombardi in Paulum e PP. saepius prelo subjecta extant.*

Membrana Codicem ambiens mutilas exhibet *Literas Johannis XXII.* datas *Avenione V. Kal. Maj. Anno Undecimo*, itaque 1327. quibus injungit *Abbati S. Martini de Sacromonte Pannonie Laurien. dioc.* ut procuret restitucionem variorum Bonorum et Instrumentorum ad Capitulum *Pannonense Strigonien. dioc.* pertinentium, quae a nonnullis ignotis Filii iniquitatis occultata detinebantur.

CCI.

U. 31 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 397. f. per duas columnas bene exaratus et rubricis enotatus, quem ad *Collegium beate Marie Virginis domus Rubee Rose apud fratres predicatorum In Wyenna testamento dedit M. Paulus ex*

Melico art. et sacrae paginae Prof. ac ecclesie ad sanctum Steffanum decanum premeritus mortuus in die prisce Virginis 1478. ut Theca Codicis anterior perhibet, complectitur Nicolai de Lira O. M. Postillas in Epistolas D. Pauli, VII. Canonicas, Actus Apostolor. et Apocalypsin, quibus additur fol. 382. Questio Nicolai de lyra contra iudeos. Initium est: Ecce descripsi eam tibi tripliciter &c. Ad calcem Paulinarum: Explicit — Anno domini M° CCCC° 53° sabbato die ante dominicam Letare est finita. Ad calcem Apocalypseos: Explicit — Sub Anno domini Millesimo &c. Quinquagesimotercio In Vigilia Sancti Thome Apostoli. Ulricus plannck. Demum ad calcem Quaestionis: Explicit questio Magistri Nicolai de lira contra iudeos scripta parisiensis Finita Anno domini M° CCCC° 1°. Ulricus plannck. Atque hic annus in manifesto mendo cubat; neque enim Liranus a. 1340. mortuus Opusculum hoc scribere a. 1401. potuit, neque Ulricus illud hoc anno finire, qui finiit praecedentia a. 1453. Opusculum istud, quo Christi Divinitas vindicatur, etiam in Editionibus Postillis et Bibliis glossatis adjunctum esse solet. Incipit: Utrum ex scripturis a iudeis receptis possit efficaciter probari &c. Extat tamen et alias impressum. Ulricum Plannck Theologorum Pedellum fuisse, ex alio Codice liquet.

CCII.